

Petrus Tomicki episcopus Cracoviensis
regni Poloniae vicecancellarius aegrotus,
Sigismundo primo regi Poloniae ex edi-
bus per chartam significavit sententi-
am et consilium suum.

141

Ego tantum affectus sum aegritudine mea, ut
tam cito nequaquam ad maiestatem vestram
venire potero. Et proinde cum intelligam ex hac
mora et cunctatione in his caequendis quae sunt
necessaria multa repullulare, quae indies mai-
stati vestrae maiorem difficultatem inferre pos-
sunt, eriguntur enim rursus animi seditioso-
rum, officialium et bonorum civium timor et de-
speratio augetur, vani rumores in vulgum
sparguntur, quae neque cum dignitate sunt,
neque ad bonum finem tendere videntur. Sup-
plicio humiliter sacra maiestati regiae, ut pro
sua summa sapientia et iustitia, constituat
tandem secum, quid cum faeneratoris, qui
iam ab universis traditi sunt, et ea confes-
sionibus in summis erga Deum et mai-
estatem vestram excessibus comperti et convic-
ti, quid inquam agere debeat, ne hi serpen-
tes in gremio constricti, aliquid ea improviso
nocuementi afferant, suam maiestatem regia ve-
stra sententiam, ut prudens et iustus prin-
ceps et dominus omnium nostrum, dicere et
illam exequi dignetur. Scis enim erit et pe-

niculosum

periculosum quidquid debet agere cum illis in-
discessu, ne quis motus subsequatur post di-
cessum maiestatis vestre, fiatque iam inqui-
sitis de aliis qui adhuc restant, ut quisque
pro suo merito premium ferat, alioquin omnes
res in peius relabentur, si facinorosi manife-
stari non punientur. Obstare autem non de-
bet neque potest assecuratio, si que fieri cer-
ta poterit illa generalitate, nam omnes pa-
lam et nullo excipiente ab illa discesserunt, et
ut noxii punirentur maiestatem vestram roga-
runt. Præterea multa hic commissa sunt ab ipsis
captivis, quibus assecurationem, etiamsi ab illa non
discessissent, sibi infringunt, indignum autem est
serenissime rex de attendendis universis, inter quos
multi sunt maiestati vestre addicti et innoxii
tantum curare, et de puniendis tam nefariis
et manifestis facinoribus adeo deliberare, cum
in minoribus velut in furtis, que aliquando mi-
serie magis quam malitiæ causa committuntur,
non consulitur diu, sed que iuris sunt statim
fiunt. Dignetur itaque sacra maiestas ve-
stra tandem auditis sententiis dominorum,
etiam horum qui per ægritudinem aberunt,
quam celerius id quod iustitiæ est et ho-
noris perpetui maiestatis vestre, exequi, eius
enim est inter dissidentes sententias elige-
re, quod potius, iustius et honestius est.
Hæc pro debita mea fide scribo sacra mai-
estati vestre, cui me humiliter commendo. 1526.